

men gloriæ: item quia ex specie sua est summe prava, et turpis inter omnes malitias, quæ esse possunt, etiamsi illæ in infinitum multiplicentur, quia inter mala majus est malum culpæ quam pœnæ, et inter mala culpæ maxime in essentiali gravitate, est odium Dei, et hanc gravitatem peccatum mortale participat, et hoc etiam confirmant rationes factæ initio. Dices, isto modo dicitur peccatum contra Deum infinitum secundum quid. Respondeo concedendo: tamen in ista infinitate potest esse magis et minus: quod aperte docet illam esse infinitatem secundum quid, et in hoc gradu peccatorum, caput continet odium Dei, et ideo illud est maxime infinitum.

3. *Secunda propositio.* — Secunda propositio. Hæc malitia peccati mortalis non est infinita in quantitate, vel intensione. Probatur primo, quia, supra diximus, non omnia peccata sunt æqualia, sed alia aliis majora, vel minora: ergo non est infinita eorum malitia, sed habet terminum. Antecedens suadetur, quia peccata mortalia non solum sunt inæqualia secundum eam malitiam, quam habent ex conversione ad objectum, sed etiam in ea quam habent ex aversione a Deo, quod patet, quia illa prior malitia fit gravior, vel minus gravis propter diversum modum voluntarii, et ob diversas circumstantias, sed ipsa etiam aversio potest esse diverso modo voluntaria, et cum variis circumstantiis, quæ semper conferunt ad majorem vel minorem gravitatem eujuseumque malitiæ moralis, quia illa non oritur ex objecto solum, sed ex his omnibus, ut dictum est, et per se videtur notum. Confirmatur, nam major malitia est contra Deum velle eum non esse, quam id velle indirecte, et in alio, verbi gratia, volendo furtum: ergo inter ipsas malitias directe volitas, poterit esse inæqualitas ratione diversi voluntarii et circumstantiarum: nam generaliter, et per se loquendo, cum peccatum mortale gravius sit ex proprio objecto, et per se, etiam est gravius, ut est contra Deum, quia in hoc est major contemptus Dei, eo quod in se magis avertit a fine ultimo.

4. *Evasio factæ probationis.* — Dices, illam malitiam esse infinitam quidem simpliciter, et nihilominus posse esse majus crimen, quia tota hæc infinitas licet dicatur simpliciter, in ratione quantitatis et intensiois, tamen absolute est infinitas secundum quid, scilicet intra certam speciem: in infinitis autem secundum quid, unum potest esse majus alio. Sed hoc recte non dicitur inter infinita etiam secun-

dum quid: quia qua ratione alias finita sunt, potest quidem esse unum majus alio, non tamen sub ea ratione, qua sunt infinita simpliciter, in quantitate: ut si esset calor simpliciter infinite intensus, posset quidem esse alia qualitas absolute major, vel efficacior propter perfectionem essentiæ: non autem posset intelligi calor intensior: sic autem est in proposito, nam ista deformitas, de qua loquimur, in omnibus peccatis mortalibus est ejusdem rationis: quare si in omnibus est infinita simpliciter, non esset major, neque minor, et hæc conclusio magis ostendetur solvendo argumenta.

5. *Ad fundamentum in n. 1.* — Ad primum respondetur, illum modum argumentandi potissimum habere locum in his, quæ sunt ejusdem speciei, vel ordinis, nam si arguendo fiat transitus ad res diversarum specierum tantum, concluditur infinitas secundum quid, ut patet a simili in cognitione, vel amore Dei, arguendo illo modo, quo amor est perfectioris objecti, eo est perfectior, etc.; unde tantum concluditur illam speciem quæ versatur circa infinitum objectum esse altioris rationis. Potest quis objicere: quomodo ergo ex simili argumentandi modo concludunt theologi meritum Christi esse infinitum simpliciter, et dignitate personæ merentis. Respondeo, nunc non agimus de dignitate meriti, vel pœnæ, sed de rectitudine et deformitate, et quoad hoc eadem est ratio de operibus Christi, nam illa etiam habebunt finitam bonitatem et intrinsicam.

6. *Ad primam confirmationem in eodem num. 1.* — Ad primam confirmationem respondeo non proprie dici, sed per exaggerationem esse infinitas rationes non peccandi, aut infinitas perfectiones in Deo; nam in se est una ratio adæquata, et una perfectio, et licet per plures conceptus nostros possit distingui, tamen semper ratio formalis specificans hanc malitiam unica est, et una honestas ipsi opponitur.

7. *Ad secundam confirmationem in eod. n. 1.* — Ad secundam confirmationem dico etiam non proprie dici, peccatum esse destructivum et contristativum Dei per se: quia revera etiam quantum est de se non habet ullam vim ad inferendam tristitiam, quia nihil potest efficere, quod vere sit Deo malum: nihil autem potest esse contristativum Dei, nisi quod est vere malum ejus: et in hoc valde est diversa conditio hominis et Dei. Deinde licet sit peccatum de se contristativum Dei, non prop-

terea tantam habere malitiam, quantam si destrueret Deum. Patet a simili, quia peccans contra Sanctum blasphemando illum, de se contristat illum, et consequenter tollit beatitudinem, non tamen ita graviter peccat, ac si revera illi tolleretur beatitudinem. Præterea in actionibus moralibus actionem esse damnificativam per se, si qui operatur est certus nullum de facto illaturum damnum, non multum aggravat malitiam ejus, pensandum est ergo tantum ex affectu operantis, unde in proposito concedo, eum qui mortaliter peccat, propterea gravissime peccare, quia virtute vult Deum non esse Deum, et aliquid præfert amori ejus, et virtute vult alium ultimum finem sibi constituere præter Deum: et quia duo fines ultimi hominis simul esse non possunt, virtute vult Deum non esse, non tamen propterea voluntas hæc tantam habet malitiam, quanta videtur esse in illo objecto, scilicet *Deum non esse*, quia, ut sæpe dixi, non semper voluntas contrahit totam bonitatem, vel malitiam objecti, et ideo voluntas occidendi infinitos homines, non est infinite mala, et ratio est, quia malitia actus non consistit in objecto, sed in tendentia ad objectum, et in modo quo versatur circa objectum: licet autem objectum sit ratione aliqua summe malum, actus poterit versari circa illum, modo non summe malo sicut etiam e contra contingit in actibus bonis.

8. *Ad tertiam confirmationem in n. 1.* — Ad ultimam confirmationem respondeo non esse illam rationem, propter quam creatura non potest æqualiter satisfacere Deo pro injuria illata, sed quia non potest suis viribus se convertere ad Deum, a quo peccando se avertit, et quia majorem habet improportionem ad satisfaciendum, quam ad faciendam injuriam, quod latius exponitur initio operis de Incarnatione.

SECTIO IV.

An sit aliquod peccatum ex sua natura veniale, et quæ sit ejus ratio.

1. *Varia hæreticorum placita.* — Quorundam Catholicorum sententia. — Prima sententia omnino negat, quam tenuit Jovinianus, et Pelagius, ut patet apud Hieronymum, libro contra Jovinianum, maxime dialog. 2, contra Pelagium, hi enim sine distinctione ulla faciebant omnia peccata mortalia. Secunda sententia est similiter hæreticorum, qui etiam peccata omnia re ipsa mortalia esse fatentur, et

tamen quodam modo venialia a mortalibus distingui. Hanc tenuit Vuicleph, referente Vualdensi, tom. 2, de Sacramentis, cap. 154, qui dixit omnia peccata reproborum esse mortalia, prædestinatorum vero omnia venialia: hæretici vero hujus temporis aiunt esse mortalia, tamen quædam a Deo non imputari ad pœnam, et ideo esse venialia; unde Lutherus omnia peccata infidelium dicit esse mortalia, renatorum vero dicit omnia esse venialia, præter infidelitatem. Melanchton addit etiam in renatis esse quædam alia mortalia, illa, scilicet, quæ committunt advertentes se esse renatos, et idem fere dicit Bucerus, qui peccata omnia et sola ex malitia commissa, dicit esse mortalia in renatis. Fundamentum harum hæresum totale sumitur ex quibusdam locis sacræ Scripturæ, ubi sine distinctione asseritur peccata mereri mortem, Deuteron. 27, et Ezech. 18: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, et alia, de quibus infra. Ad hanc fere accedit tertia sententia Catholicorum, quæ etiam affirmat peccata omnia de se, si districte judicemus de illis, esse mortalia, et mereri pœnam æternam, tamen ex Dei benignitate factum est, ut quædam peccata venialia censeantur, neque expellant gratiam, neque puniantur æterna pœna, ita Gerson, de Vita spirituali, sectione 1, Almainus, tractatu 2, Moralium, cap. 32, et Roffensius, art. 32. Fundamentum esse potest, quia omne peccatum etiam minimum habet eam deformitatem, et malitiæ infinitatem, quam habet peccatum mortale; patet, quia omne peccatum est offensio Dei, et prævaricatio legis ejus.

2. *Notatio pro decisione.* — Advertendum est nomen peccati venialis variis modis interdum a Patribus usurpari, aliquando enim vocant veniale ex effectu, illud eujus veniam consequimur: aliquando vero ex causa, quod aliquo modo venia dignum est, quia ex passione, vel ignorantia commissum: ita Ambrosius, lib. de Paradiso, cap. 1, Augustinus 21, de Civitate, cap. ult., et libro de vera et falsa Pœnitentia, capite 18; tamen proprie veniale peccatum, de quo est quæstio, illud dicitur quod neque spirituale mortem affert animæ, neque æterna pœna per se punitur.

3. *Prima propositio.* — Propositio prima. Quædam sunt peccata modo nunc exposito, venialia proprie et vere: est de fide definita in Tridentino, sect. 8, cap. 11 et 13, can. 23 et 25, et sect. 14, cap. 5, et can. 7, et Milevitano, cap. 7 et 8, quam late ostendunt contra hæreticos Roffensis, supra, et Vualdensis Co-

cleus, lib. 2, contra Calvinum, tract. 9, Vega 14, in Tridentinum, Castro, verbo *Peccatum*, hæresi 11, Soto, in 4, distinct. 15, quæst. 2. Et probatur primo: nam sunt quædam peccata, quæ non excludunt gratiam, neque justitiam coram Deo, quod inde colligitur, quia in sacra Scriptura tribuuntur justis perseverantibus in amicitia Dei, Prov. 14, *septies in die cadet justus*, 1, Joannis 1, Jacobi 2: *In multis offendimus omnes*, quæ loca ita intelligit Augustinus, tract. 41, in Joan., et in Enchiridio, cap. 78, et de Natura et Gratia, cap. 34 et 38, et eodem modo dicit esse, lib. 1, contra duas epistolas Pelagian., dicenda esse a justis illa verba, *dimitte nobis debita nostra*, etc., propter venialia peccata, quæ quotidie committunt. Idem D. Hieronymus, dialog. 2, contra Pelag., ubi etiam utitur illa sententia psal. 31: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*: et illud Hebr. 5, de sacerdote, qui offerre primum debet pro peccatis suis: nam *si justus*, inquit, *non esset, non juberetur offerre, nequè etiam pro se, si omni peccato careret*.

4. Secundo, quia etiam Scriptura docet esse quædam peccata, quæ non puniuntur æterna pœna, quod Hieronymus colligit ex illo Matth. 6: *Reus erit judicii, reus erit gehennæ ignis*, ubi distinguuntur duo genera iracundiæ: alterum subjicitur gehennæ ignis, et pœnæ æternæ: alterum vero non: ut exponit etiam Chrysostomus, homilia 16, in Matthæum, et Gregorius 21, Moral., cap. 5, et primo colligitur idem ex 1, ad Corinth. 18, ubi de illo, qui *superædificat lignum, fenum et stipulam*, dicitur salvum fore, *sed quasi per ignem*, in quibus verbis sancti peccata venialia intelligunt, quæ non igne æterno, sed quasi temporali puniuntur, quæ late prosequitur D. Thomas 1, 2, quæst. 89, art. 2, ex Augustino, lib. de Fide et operibus, cap. 25, et in Enchiridio, cap. 78. Ambrosium, Gregorium, Hieronymum, et alios refert Vega, lib. 14, cap. 4.

5. Ex quo loco sumitur etiam tertia ratio, nam sunt quædam peccata, quæ in sacra Scriptura per res levissimas significantur, quæ dicuntur etiam sine plena voluntate committi, et facili negotio condonari, quæ non conveniunt in peccatum mortale. Antecedens patet ex dicto loco, et ex Matth. 5, ubi Hieronymus ait significari per novissimum quadrantem cum Origene, homil. 35, in Lucam et Matth. 7, dicit significari per festucam. Item Tertullianus, lib. de Anima, cap. 17, et Matthæi 23, ait significari nomine culicis. Idem Cyprianus,

sermone de eleemosyna, et lib. 4, epistola 2, Ambrosius, Luca 12, Emissenus Eusebius, homil. 2, de Epiphani., Augustinus, sermone 29, de Verbis Apostoli, ait, in cap. 5, ad Ephesios, per *maculam*, significari peccatum mortale, per *rugam* vero, veniale. Idem, libro de Bono conjugali: et in Enchir., cap. 43, et in illis verbis Jacobi 1, *concupiscentia parit peccatum*, intelligit veniale, quod sine pleno consensu committitur, nam de mortali statim additur, *cum consummatum fuerit generat mortem*, id est, plene deliberatum. Item illud Jacobi 5: *Si in peccatis fuerint, dimittentur eis*, scilicet per extremam unctionem. De venialibus peccatis intelligit Gregorius 31, Moral., cap. 1, et cum eo theologi, in 4, d. 74. Idem etiam Gregorius 4, Dialogorum, cap. 23, docet, ex Matth. 12, esse quædam peccata, quæ licet non remittantur in hac vita, remittentur in futura. Ex quibus etiam satis constat hanc conclusionem haberi ex traditione Patrum, unde Alexander papa quintus post Petrum, instituit aquam benedictam in remissionem venialium, de Consecratione, dist. 3, c. *Aqua*, et in eadem veritate consentiunt Scholastici, in 2, dist. 21, 35 et 42, et in 4, d. 41, ratione agemus statim; vide quæ pro hac prima propositione scribimus, lib. 11, de Grat., cap. 3, a num. 14.

6. *Secunda propositio.* — *Probatur specialiter contra Lutherum.* — Secunda propositio. Peccata hæc non sunt venialia propter extrinsecam conditionem personæ committentis illa: neque quia Deus non imputat. Hæc etiam est de fide contra dictos errores, et patet primo quod non propter illas condiciones reprobi et prædestinati: nam quid sit veniale, quidve mortale peccatum, et per se patet, et colligitur ex Tridentino, sect. 14, cap. 5. Quis autem sit reprobis, vel quis prædestinatus, non constat nobis, juxta Tridentinum, sess. 6, cap. 5. Secundo, quia sacra Scriptura docet prædestinatos mortaliter interdum peccasse, Davidem, Petrum, Paulum, qui blasphemum et contumeliosum seipsum vocat: reprobos vero venialiter interdum peccare, de se est evidens, nam verbum otiosum in reprobo non est mortale. Hæc vero sententia erronea supponit alium errorem, scilicet reprobis nullum peccatum vere remitti: prædestinatis autem nullum peccatum unquam imputari, contra veritatem et necessitatem Sacramenti Baptismi et Penitentiae. Et adductæ rationes fere eadem valent contra Lutherum, quia etiam illæ conditiones personarum, scilicet esse justos, vel

non esse renatos, non sunt nobis omnino notæ, et præterea Patres, et sacra Scripturæ non ex conditionibus personarum; sed ex conditione, et veluti merito ipsarum actionum distinguunt venialia a mortalibus. Deinde sancti censent peccata Christianorum cæteris paribus esse graviora, propter majorem scientiam, et accepta beneficia, ut supra agentes de malitia diximus; et colligitur ex 6 et 10, ad Hebræos: ergo mendacium leve, vel verbum otiosum, non minus est in infideli quam in renato. Præterea hic error supponit alios, scilicet, peccatum vere mortale posse esse in justo conservata justitia, contra Paulum ad Romanos 8, et totam primam Canonicam Joannis. Item supponit justitiam nullo peccato amitti, nisi infidelitate, contra quod disserimus in materia de gratia.

7. *Mortaliter etiam peccatur et ignorantia aut passione.* — Ex quibus colligitur hæreticum esse dicere peccatum veniale tale esse, quia Deus non imputat, licet in se mortale sit, est enim hoc contra innocentiam justorum, quam, ut diximus, sacra Scriptura prædicat. Item est contra justitiam Dei: et ea sacra Scripturæ loca, quæ peccata committentibus dignas minantur pœnas, ad Galat. 5, ad Ephesios 1, 1, ad Corinth. 6, et passim. Item contra bonitatem Dei, et ea loca sacra Scripturæ, quibus dicitur Deum odisse impium, et impietatem ejus, Jacobi 2: *Qui in uno offendit, factus est omnium reus*, et definitur hoc in Tridentino, sess. 6, canone 15; tandem constat ex dictis hæreticum etiam esse dicere omnia peccata esse venialia, quæ fiunt ex passione, vel ignorantia; tum quia ipsa ignorantia potest esse peccatum mortale, 1, ad Corinth. 14, *ignorans ignorabitur*; tum etiam quia ex ignorantia committuntur gravissima peccata, ut Paulus de se ipso fatetur, 1, ad Timoth. 5: *Blasphemus fui, persecutor, et contumeliosus, sed ignorans feci in incredulitate*, etc. Colligitur ex 15 Joannis: *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum quia nesciunt eum qui misit me, et capite decimo-sexto, quia non noverunt Patrem, neque me*. Marci ultimo, *exprobravit incredulitatem eorum*. Actorum 13, *hunc ignorantes, etc.*, et c. 17, *tempora quidem hujus ignorantie despiciens Deus*. Simili modo Petrus, licet ex passione peccaret, tamen non ignorabat peccatum, dum flebat amare. Idem constat de peccato David, quod fuisse mortale ignorabat ipse, quod indicat, dicens *filius mortis est hic, qui fecit hoc*. Cui consentit Nathan, dicens: *Tu es ille vir*, 2, Reg. 12; e contra

vero posse esse veniale peccatum sine ignorantia, vel passione, constat in verbo otioso, vel mendacio levi.

8. *Tertia propositio.* — Tertia propositio. Peccata venialia talia sunt natura sua. Est contra tertiam sententiam, in n. 1, quæ omnino falsa est, et forte plus quam temeraria. Hæc est communis conclusio theologorum, et probari potest ex dictis, ideo enim sacra Scriptura comparat hæc peccata levissimis rebus, ut ostendat has culpas per se, et in se ipsis, esse levissimas. Præterea Patres non ex Dei revelatione, sed ex conditione, et circumstantiis operis docent quid veniale sit, quid vero mortale, quod non posset fieri si hoc totum ex extrinseca Dei voluntate penderet. Et ratione patet, nam dupliciter potest intelligi, peccata, quæ non sunt venialia, benignitate Dei censeri talia; primo, quia revera eam turpitudinem habent quæ inest proprie peccato mortali; Deus tamen eam dissimulat, et in hoc sensu coincidit hæc sententia cum illa hæretica de non imputatione. Secundus sensus est, omnia hæc peccata ex sua natura apta esse contrahere illam deordinationem, quia posset Deus, si vellet talibus legibus hominem obligare, ut sub reatu mortalis culpæ teneretur omnia illa peccata vitare, quæ nunc venialia sunt; tamen jam in his peccatis illam deordinationem non inveniri, quia noluit Deus hominem ita obligare, quæ Dei est voluntas et benignitas, non rei natura. Et hic sensus cum secundum naturas rerum procedat, et in illis fundetur, falsus est, non tamen hæreticus, nam ex natura rei præcepta Dei non magis hominem obligant, quam ipsis rebus et actionibus sit consentaneum: unde si expendamus naturalem rationem, quæ legem ostendit naturalem, nulla esset talis lex quæ obligaret hominem sub mortali ad vitandas istas leves culpas, quia ipsamet naturalis ratio dictat hæc ex natura sua esse leviora. Confirmatur, nam si talis lex naturalis esset, illa certe nunc vigeret, quia gratia et benignitas Dei non tollit obligationem naturalis legis, sed vim præbet ad illam servandam; ergo si de facto non est talis lex, signum est non esse naturalem; neque dici potest eam quidem legem et nunc obligare, et tamen transgressionem ejus esse, et reputari venialem ex Dei benignitate: hæc enim implicat, scilicet peccatum actu esse contra legem obligantem ad mortale, et non ignoratum: et peccatum esse revera veniale.

9. At dicet aliquis. Licet lege naturali transgressio aliqua non sit mortalis, tamen positivo

præcepto posset Deus illam prohibere sub mortali. Respondeo, de potentia absoluta, et ut supremus Dominus non videtur dubitari, quin Deus possit; et hoc modo ejus benignitati tribui potest, quod non fecerit, et forte in hoc sensu pie exponi potest illa Catholicorum sententia, ut non coincidat cum hæretica: is tamen præcipiendi modus neque divinæ sapientiæ, neque suavi ejus providentiæ est consentaneus, et præterea non ideo esset negandum peccata aliqua esse ex natura sua venialia, nam præceptis positivis non fit, ut ea quæ ex sua natura mortalia sunt, fiant venialia, sed potius e contra talibus præceptis fieret, ut quæ ex se tantum essent venialia, ob legis obligationem essent mortalia: sicut etiam interdum ea, quæ de se indifferentia sunt, possunt prohiberi sub peccato mortali, vel veniali.

10. *Quarta propositio.*—Propositio quarta. Ratio venialis peccati in hoc consistit, quod præter moralem malitiam, quam ex objecto et propriis circumstantiis habet, non habet illam propriam deformitatem mortalis, quæ in aversione a vero ultimo fine, et in conversione virtuali ad creaturam, ut ad ultimum finem posita est. Hanc intendit D. Thomas in tota hac materia de peccatis, et q. 7, de Malo, art. 1, et ratione probatur ex dictis, nam peccatum veniale ex natura sua differt a mortali: ergo natura sua caret ea deformitate, quæ et propria est peccati mortalis, et quæ illud constituit. Ratio autem a priori istius carentiæ est, quia sunt res quædam, quæ licet minus rectæ sint, tamen adeo sunt parvi momenti, et ponderis natura sua, ut non sint media simpliciter necessaria, vel ad obtinendum ultimum finem, vel ad conservandam Dei amicitiam, et ideo, qui in his delinquit, neque expresse, ut constat, neque tacite, neque virtute avertitur a Deo ultimo fine, ut patet ex contraria ratione, propter quam peccatum mortale virtute includit istam deformitatem. Antecedens primo in genere patet, quia ratio amicitiae postulat, ut non pendeat ex rebus levissimis, et idem est de adeptione ultimi finis, quæ res est omnium gravissima. Secundo in particulari patet, maxime in his peccatis venialibus, quæ ex subjectione, et ex indeliberatione committuntur, nam istæ actiones indeliberatæ vix dici possunt humanæ, nisi imperfectissimo modo, et ideo non possunt esse media necessaria ad ultimum finem, quia finis ultimi amor est res, quæ maxime indiget deliberatione: ergo, etc.; unde D. Thomas etiam illa peccata mortalia, quæ circa Deum ipsum videntur versari, ut

odium Dei indeliberatum, non vult circa illum versari tanquam circa ultimum finem, sed potius ille defectus est quasi circa quoddam medium secundum prudentem existimationem moralem, est enim defectus quidem circa debitum usum, et exercitium ipsius voluntatis hic et nunc, et in hoc actu: atque adeo retardatio quædam in operatione circa ultimum finem quasi materialiter sumptum, in aliis autem peccatis venialibus, quæ talia sunt, vel ex genere, vel ex levitate materiæ, satis constat ex conditione ipsius materiæ, vel actionis, circa quas versantur talia peccata, illas non esse res necessarias simpliciter ad ultimum finem. Sed contra: nam D. Chrysostomus, homilia 40, ad populum, inquit, non levius esse peccatum furari duos obolos, quam magnam auri quantitatem. Respondeo, aperte loquitur de eo, qui voluntatem habet furandi plura, si posset, tamen in effectu solum furatur duos obolos, quia non invenit aliam quantitatem, et hoc ex contextu facile colligitur.

11. *Obiectio hæreticorum refellitur.*—Sed obijciunt hæretici, nulla actio potest reputari parvi momenti, quæ impedit executionem maximi præcepti charitatis, quo tenemur Deum semper tota mente amare. Respondeo; idem argumentum fieri potest de quolibet humano opere: non ergo tenemur illo præcepto semper occupari in actuali amore Dei, sed suo tempore et modo: habitualis vero Dei amor non repugnat esse cum peccatis venialibus, quia hæc, ut dictum est, non sunt contraria amicitiae. Aliter etiam obijciunt contra ultimam conclusionem, nam per veniale peccatum constituit homo alium ultimum finem præter Deum, quia illud peccatum habet aliquem ultimum finem, et non Deum: ergo. Respondebit quis esse verum de fine operis, non vero operantis, ut diximus, sectione 1. Contra est: nam hoc ipso tollitur Deo tota ratio ultimi finis, sicut qui a prima causa aliquid ejus vel minimum subtraheret, quod ab ipsa non fieret, totam rationem primæ causæ everteret, ita etiam qui a fine ultimo aliquid subtrahit. Respondeo, licet is, qui venialiter peccat, non referat peccatum suum in Deum, ut in ultimum finem, non propterea virtute aut interpretative vult illum non esse ultimum finem: ratio est, quia non ideo non refert, quia vel expresse, vel tacite indicet, aut velit Deum non esse illum, in quem bona omnia sunt referenda, sed solum vult non nihil circa creaturam immorari; non est autem de ratione ultimi finis, ut omnia quæcumque, et qualiacumque

illa sint, sive bona, sive mala, in illum referantur, sed solum ea, quæ bona sunt: unde qui peccatum veniale in Deum non refert, nihil Deo subtrahit, quia illud non est referibile in Deum, licet hoc ipsum (scilicet aliquid velle quod in Deum referibile non sit) aliquid malum sit, non tamen est gravis injuria ipsius ultimi finis, et ad illud de prima causa agente patet eadem responsio, est enim de ratione talis causæ esse causam omnium bonorum, non tamen peccatorum, ut sic.

12. *Ad fundamentum in num. 1.*—Ad fundamentum hæreticorum in principio positum, respondeo in illis, et similibus sacra Scripturæ locis, sermonem esse de peccato tantum mortali, ut sectione sequenti melius exponemus, ubi etiam satisfacimus illi fundamento contrariæ sententiæ.

SECTIO V.

Qualis sit ista divisio peccati in veniale et mortale.

1. *Prima sententia de differentia accidentaliter inter veniale et mortale.*—*Secunda sententia opposita.*—In hac quæstione multæ includuntur, quæ ad duas revocari possunt. Prima est, quomodo ista membra inter se differant. Secunda, quid sit id quod in ea dividitur, et quomodo conveniat membris dividendis. In priori quæstione prima sententia affirmat peccatum veniale et mortale accidentaliter differre, quia per se in aliqua specie malitiæ convenire possunt, in qua differunt secundum majorem, vel minorem gravitatem: ita multi Thomistæ opinantur propter doctrinam divi Thomæ, 1, 2, q. 72, art. 5. Secunda vero sententia affirmat, hæc duo membra differre essentialiter, quæ colligitur ex D. Thoma, 1, 2, quæst. 74, art. 3, ad 1 et 2, et art. 1 et 2, dum inquit, hæc esse analogice peccatum, nam analogia non est inter ea quæ sunt ejusdem speciei. Idem, q. 3, de Malo, a. 8, Bonaventura, 2, dist. 42, art. 2, q. 1, Carthusianus 2, dist. 1, q. 5, Capreolus, d. 48 et 49, Navarrus, in præludio 9, qui refert alios; tamen hæc res ex dictis facile potest expediri.

2. *Prima propositio.*—Prima propositio. Peccatum mortale de se, et ut tale est, habet aliquam deordinationem specie distinctam ab omni ea, quæ est in peccato veniali. Probatur, nam illa pravitas, quæ est directe contraria ipsi ultimo fini, ratione cujus homo avertitur ab ipso, et convertitur ad creaturam ut ad ul-

timum finem, est propria species deordinationis et pravitatis mortalis, et hæc non potest reperiri in peccato veniali, ut etiam ostensum est, et in hoc sensu vera est secunda sententia.

3. *Secunda propositio.*—Secunda propositio. Malitia et deordinatio mortalis, quæ sumitur ex objecto proximo, esse potest ejusdem speciei in peccato mortali et veniali: ita intelligendus est D. Thomas citatus, et conciliari potest, nam patet conclusio in furto gravi et levi: si enim considerentur quatenus habent malitiam injustitiæ, conveniunt in specie, habent enim idem objectum, solumque differunt in quantitate materiæ, quæ est accidentaliter circumstantia. Confirmatur, nam ab eodem vitio secundum eandem propensionem fiunt, et hoc modo dicunt etiam theologi circumstantiam, et si non mutet speciem, posse interdum mutare actum de veniali in mortale, quatenus ratione circumstantiæ fit, ut ea malitia in propria specie sit gravior, ex quo consequitur altera deordinatio.

4. *Dubium.*—*Instantia.*—Dicet quis: Quomodo potest fieri, ut malitiæ conversiones sint ejusdem speciei, et tamen propter solam accidentalem gravitatem ex uno sequatur illa gravissima deformitas, quæ est in peccato mortali et non ex alia, nam ex eadem essentia eadem proprietates sequuntur. Respondeo quantitatem, verbi gratia, materiæ circa quam, vel aliam similem circumstantiam posse efficere, ut secundum rectam prudentiam ea res existimetur medium necessarium ad conservandam charitatem Dei, vel proximi, et non in minori quantitate, et ideo solum augmentum in hujusmodi circumstantia posse esse sufficiens ad contrahendam deordinationem mortalem, neque enim ista deordinatio aversionis sequitur ex illa malitia conversionis tanquam proprietas ex essentia, sed quasi concomitatur illam, quia est virtualiter voluntaria. Sed contra, ergo odium Dei, quod est veniale ex indeliberatione actus, habet malitiam mortalem ejusdem speciei cum odio, quod est peccatum mortale, nam illi actus habent idem objectum, et differunt sicut furtum grave et leve. Respondeo primo, licet in aliqua malitia conveniunt, tamen in odio deliberato semper est aliqua deordinatio in qua differunt, quia scilicet illud odium perfectum est conversio virtualis ad creaturam, ut ad ultimum finem, et perfecta, et quasi formalis aversio a Deo, quæ non conveniunt odio indeliberato. Secundo potest negari consequentia, quia actus indeliberatus in genere moris quasi differt genere ab